

# Curia Romana

*Congregación de las Causas de los Santos: decreto sobre el carácter extraordinario de una curación atribuida al Venerable Siervo de Dios Álvaro del Portillo (5-VII-2013)*

## CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

**ROMANA et PRAELATURAE SANCTAE CRUCIS et OPERIS DEI**

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

**ALVARI DEL PORTILLO Y DIEZ DE  
SOLLANO**

EPISCOPI TITULARIS VITENSIS

PRAELATI PRAELATURAE PERSONALIS SANCTAE CRUCIS

ET OPERIS DEI

(1914-1994)

## **DECRETUM SUPER MIRACULO**

Venerabilis Dei Servus Alvarus del Portillo y Diez de Sollano natus est Matrili a piis honestisque parentibus, tertius ex octo fratribus, die 11 mensis Martii anno 1914. Doctoralem lauream obtinuit in re machinaria civili, in scientiis historicis et in iure canonico. Anno 1935, suae vitae vicesimo primo, Operi Dei adhaesit ac prudenti elapso temporis spatio Sanctus Iosephmaria validissimum suum collaboratorem eum habuit. Die 25 mensis Iunii anno 1944 sacrum presbyteratus ordinem recepit et anno 1946 Romam se contulit ad Conditorem adiuvandum in Operis Dei moderamine et propagatione. In multiplicibus quoque muneribus sibi a Sancta Sede concreditus sese impendit, Consultoris videlicet Dicasteriorum Curiae Romanae atque, in Concilio Vaticano II, Secretarii Commissionis *De disciplina cleri et populi christiani* necnon aliarum Commissionum Periti. Die 15 mensis Septembris anno 1975 electus est primus Sancti Iosephmariae in Operis Dei moderamine successor. Die vero 28 mensis Novembris anno 1982 Beatus Ioannes Paulus II Opus Dei in Praelaturam personalem erexit et Venerabilem Alvarum del Portillo eiusdem Praelatum nominavit atque die 6 mensis Ianuarii anno 1991 episcopalem ordinem ei contulit. Pastoralis hoc munere ita functus est, ut peculiaris in eo nota emereret, fidelitas nempe

erga spiritum a Conditore traditum et erga nuntium ab eodem proclamatum. Praelaturae operibus apostolicis extendendis in Ecclesiae sanctae servitium indefesse sese dedit. Annos undeviginti Opus Dei rexit, cuius actuositas in viginti novas Nationes stabiliter dilatata est; Praelaturae fideles ultra mille ad sacerdotium vocavit, de re sociali et assistentiali multis in regionibus incepta fovit, ad explendum antiquum desiderium Sancti Iosephmariae Pontificiam Universitatem Sanctae Crucis Romae condidit aliaque plura id genus effecit. Itinera quoque peregit in quinque continentes, magna fortitudine evangelicam veritatem ubique proclamans. Primo diluculo diei 23 mensis Martii anno 1994, paucis horis post reditum e peregrinatione in Terram Sanctam, Deus eum ad se vocavit et statim probationes habitae sunt eius famae sanctitatis in mundum universum diffusae.

Has inter probationes notitiae eminent de favoribus cum spiritualibus tum materialibus atque de sanationibus quidem multis eius intercessioni attributis, quarum una peculiariter digna visa est quae attente consideraretur, sanatio scilicet cuiusdam infantis, qui natus est die 10 mensis Iulii anno 2003 affectus deformitate cerebrale congenita in utroque hemisphaerio propter defectum migrationis neuronalis, cardiopatia congenita cyanotica (“tetralogia di Fallot”) et umbilici hernia. Prioribus suae vitae diebus puer passus est iteratas accessiones hypoxicoischaemicas cerebrales, die vero 2 mensis Augusti affectus est cordis inhibitione propter haemopericardium massivum, quae inhibitio inter dimidiam horam et tres quartas horae partes duravit. Medici quidem pueri redanimationem toto hoc tempore frustra temptaverunt, sed cum tandem hanc therapiam interrompere statuerant, ante totalem eius suspensionem cordis palpitatio sponte restaurata est.

Simul vero parvi infirmi parentes, qui de filii sui statu certiores facti erant, instantius pro eius sanatione oraverunt recurrentes ad intercessionem Venerabilis Alvari del Portillo. Iuxta medicorum prognosim, accessio illa ischaemica gravissimum damnum neurologicum secum ferre debuisset, immo et ipsam mortem, sub aspectu autem functionalis sanatio fuit completa et duratura.

Sanatio haec explorata est in Inquisitione Dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Sancti Iacobi in Chile instructa a die 5 mensis Augusti anno 2008 ad diem 6 mensis Augusti anno 2009, cuius iuridica auctoritas approbata est ab hac Congregatione decreto diei 15 mensis Ianuarii anno 2010. Medicorum Dicasterii Consilium, in sessione diei 18 mensis Octobris anno 2012 agnovit huiusmodi sanationem secundum scientiae medicae leges haud explicari posse. Die 15 mensis Decembris anno 2012 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, et die 4 mensis Iunii anno 2013 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, me Card. Angelo Amato moderante. In utroque autem Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum,

posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum unanima consensione prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierna die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Alvari del Portillo y Diez de Sollano, Episcopi titularis Vitensis, Praelati Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam pueri a «prolongato arresto cardio-circulatorio, tamponamento cardiaco, determinante insulto ipossico-ischemico in cerebropatia congenita con progressi danni del circolo cerebrale».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2013.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. + S.

MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis  
*a Secretis*